



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

2 Interesse ex lite proueniens ob debitum non solutum iuste petitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



pro cambio; Et Præterea quod campfor qui dat pecunias soluendas sciat, vel probabiliter credat, quod persona, cui eas dat, habeat pecunias, vt fidem, seu creditum, & voluntatem satisfaciendi literis. & solutioni in locis, vbi soluenda sunt; & denique quod locus in quo pecuniae soluenda sunt, longe distet a loco, in quo dantur literæ. Quæ omnia in prædicto cambio concurrunt. & ideo licitum censeri debet. Non enim (quod deesse videtur) soluitur pecunia cambita in eodem loco, vel formaliter quia cambiatur Romæ, & soluitur Lugduni; vel æquivalenter, quia obligatio, qua Antonius exempli causa, se obligauit ad soluendum pecunias Lugduni, tollitur omnino per obligationem, qua Petrus campfor se obligat ad eas ibi soluendas per Ioannem agentem & procuratorem suum; officijs autem diuersis sibiipsis non repugnantibus, vnus non idemque fungi licite potest, & campfor passim fiunt creditores vnus sub vna ratione, & debitores eiusdem sub alia.

## DECISIO II.

Ex consil. 2. alias 11.

**D**ebitor, qui in mora est soluendi debitum ad diem constitutum, creditori vltra debitum principale, tam interesse damni emergentis, quod creditor in litigando est passus, Ant. in cap. conquestus. de vsur. quam interesse lucri cessantis, quod creditor verisimiliter lucrificasset, si principale tempore debito solutum fuisset, in vtroque foro soluere tenetur ex Na. in Man. cap. 17. num. 211. Interesse autem lucri cessantis, perpenis circumstantijs personarum, loci temporis, & opportunitatum lucrandi, quæ sese obtulerunt, si summa principalis opportuno tempore soluta fuisset. prudentis vniarbitrio iudicandum est. Arg. ca. de causis. de offi. deleg.

## DECISIO III.

Ex consil. 3. alias 8.

**M**utuans ab alio 700 aureos & obligatus se ad soluendum ei mille per instrumentum publicum, confitendo se illa debere, nulla facta mentione, quod 700. realiter mutuo accepit, & 300. promisit pro interesse creditoris, & differens solutionem & restitutionem per multos annos, eo quod non sit interpellatus a creditore, qui est amicus eius, & aliqua bona opera a mutuatario accepit: si mortuo creditore, hæres a præfato mutuatario non solum illa mille petat, sed interesse lucri cessantis, quod ex illis creditor facere potuisse; non tenetur mutuatarius illa 300. soluere, nec interesse aliquod ratione illorum 700. dammodo promissio de soluendo mille in iuramento iurata non fuerit; quia promissio simplex de soluendo vsuras nullo iure obligat, cap. debitores. de iureiur. & quicquid vltra sortem accedit, est vsura, cap. 1. 2. & 3. 14. q. 3. illa vero 300. vltra sortem principalem pro vsuris promissa censentur; interesse autem non debetur, nisi vel creditor mercator sit, qui a mercando cessat, eo quod non erat sibi tempore debito solutum; Argu. l. 3. ff. de eo quod certo loco. vel nisi debitor in mora sit soluendi; & debitor non est in mora, nisi a creditore interpelletur, ex Innocen. in cap. fin. de vsur. Quod si promissio soluendi vsuras iurata sit, obligat ad soluendum, & reddendam Deo iuramentum suum. d. cap. debitores. Potest tamen ab Episcopo, vel Papa iuramenti relaxationem in eo euentu petere, propter contractum vsurarium, quo se ad soluendum obligauit; cap. 1. de iureiur. & sic vsuras illas etiam iuratas soluere non tenebitur.

## DECISIO IV.

Ex consil. 4. alias 13.

**C**ontractus mutui absolutus cum clausula posita, vt vel tantum triticum cum tali tempore a mutuatario bonum, nitidum, & mercantile restituat, quantum ipse a mutuantis recepit, vel vt soluat tria scuta pro quolibet Rubio; si tempore debito triticum non soluat, & conuentus in iudicio, & condemnatus ad rationem quanti plus triticum creuerat in ætimatione, videlicet ad quinque scuta pro quolibet Rubio, prout triticum tunc valebat huiusmodi contractus licitus fuit; & mutuantis ex defectu restitutionis gratia suo tempore faciendi augmentum illud, accipere potest,

prout a Iudice constituitur; & dampnum quod euenit, cum ex mutuatarij culpa, & mora proueniat, non mutuantis, aut Iudici, sed ipsi mutuatario moroso imputari debet. cap. Mora. de reg. iur. in 6.

## DECISIO V.

Ex consil. 5. alias 21.

**V**endens domum pro pretio mille aureorum, de quibus 500 soluere promittit illinc ad vnum annum cum pacto, quod tempore solutionis dicti residui venditor teneatur præstare vnum fideiussorem de euictione domus, & vltorius in euentum non solutionis dicti residui, vt supra, emptor dat potestatem venditori dictam domum propria auctoritate capiendi, & illud retinendi, & fructus in vltus suos conuertendi absque eo quod in sortem compensentur pro currente quantitate vsque ad effectualem solutionem dicti residui; & adueniente tempore, & termino anni non soluitur residuum pretij, quia venditor non potest præstare fideiussorem de euictione, vnde per dictas partes prorogatur tempus soluendi ad alium annum cum hoc, quod interim emptor teneatur præstare fructus venditori pro rata dicti residui; licet hoc casu venditor ab emptore dictos fructus accipere, & retinere potest, immo & eos potere, qui nondum eis soluti, sunt a tempore anni prorogati, ob illam tantum æquitatem, quæ habet, quod nemo cum aliena iactura locupletari debeat; leg. iure naturæ, ff. de reg. iur. & c. locupletati eo. tit. in 6. fructus tamen perceptos intra annum præstitutum in contractu ad soluendam reliquam medietatem, accipere, aut petere nequit; quia intra illum annum nulla locupletatio cum aliena iactura confiderari potest, eo quod ipsarum partium libera, & spontanea conventionione, pro pretio domus mille soluenda erant 500. tempore venditionis, & alia 500. in fine anni.

## DECISIO VI.

Ex consil. 6. alias 22.

**E**mens fundum, & eo fruens, dando fideiussorem ad soluendum venditori pretium post certum tempus, & simul dans fideiussori mille aureos pro parte pretij, eo pacto, vt fideiussor soluat partem pensionis fundi empti, quæ respondet parti prædicti pretij, mille aureorum, vsura committit, obligando fideiussorem, vt mille aureos; qui sunt fors principalis, venditori soluat, & vltra hanc principalem sortem, vt etiam soluat sibi partem pensionis illis respondentem, pro vsu illius pecuniæ vsque ad tempus solutionis, eo quod depositum cum facultate vrendi eo sit mutuum.

## DECISIO VII.

Ex consil. 7. alias 3.

**M**utuans aliquid a mutuatario vltra id, quod mutuatam interesse lucri cessantis, quam damni emergentis licite petere, & accipere potest; ex Nau. in Man. cap. 17. num. 212. & si mutuantis ob defectum solutionis a mutuatario tempore debito faciente, ad vsuras accipere cogitur, vt suo creditori soluat, cui etiam certa die soluere tenebatur easdem vsuras, & dampnum Mutuati Mutuatarius restituere teneatur. Arg. cap. Petruenti. & cap. constitutus. de fideiur.

## DECISIO VIII.

Ex consil. 8. alias 25.

**S**ocietas, qua duo inter se societatem inuent, iuxta consue-  
tudinem loci, sic vt vnus conferens pecuniam, octo pro  
cerum accipiat, saluo manente capitali, iniusta, & illicita est;  
eo quod, cum tria ad societatem licitam necessaria sint, ex  
Nau. in Man. cap. 17. num. 252. nimirum licita negotiatio:  
Aequalitas lucri, pro quantitate partium collatarum: & vt  
pecunia periculo eam conferentis subiaceat, adeo vt si pe-  
reat, illi tota peccat: in dicta societate pecuniam conferens,  
saluo manente capitali, lucrum sine villo damno reportat,  
quod est illicitum, cum lege naturali, qui sentit commo-  
dum etiam dampnum, & onus sentire debet. cap. qui sentit.  
de reg. iur. in 6.

DE-